COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

**BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET**

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Kiessling, Adolf, 1837-1892.
...Adolfi Kiessling De Horatianorvm Carminvm inscriptionibvs commentativncvla. Gryphiswaldiae, typis Frid. Gvil. Kvnike, 1876.
10 p. 26 cm.

At head of title: Index scholarvm in Vniversitate litteraria Gryphiswaldensi...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/27/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM


**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202


Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

# INDEX SCHOLARVM

IN

# VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCLXXVI

A DIE XXIV MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

---

INEST

ADOLFI KIESSLING DE HORATIANORVM CARMINVM INSCRIPTIONIBVS COMMENTATIVNCVLA.

---

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.

MDCCCLXXVI.

# VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

**FRANCISCVS SVSEMIHL**

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

---

Cum ante hunc annum hac scribendi oblata occasione carmen ad Censorinum, quod inter Horatiana fertur octavum libri quarti, non ab Horatio compositum sed post Censorini mortem ab ignoto aliquo homine conflatum esse certis ut etiam nunc nobis videtur argumentis evincere conaremur, omnis illius argumentationis vis in ea re posita erat, quod hunc Censorinum eundem esse atque C. Marcium Censorinum consulem anni 746 compertum habebamus. Id ipsum vero nullo alio nitebatur fundamento nisi in fide inscriptionis, quae isti carmini praefixa in aliquot codicibus Horatianis legitur, *ad Censorinum Marcum F* vel *ad Marcium Censorinum* λ. *) Atque cum omnium horum titulorum fidem apud multos viros doctos tam exiguam esse videremus, ut eorum rationem fere nullam habere consueverint atque ex editis Horatii exemplis prorsus eos exulare iusserint, non abs re fore nobis visum est quaerere quonam tempore et quo auctore tituli carminibus Horatianis praefigi potuerint. Ne enim iam ab ipso poeta eos profectos esse statuamus, prohibet non solum valde diversa atque varia eorum in codicibus species, verum obstat quod ita vix satis commode explicari potest, quomodo factum sit ut saepius in libris vel diversa carmina uno sub titulo coniungerentur vel unum idemque in duo quasi suis numeris absoluta carmina dispesceretur. Quod autem statim alicui in mentem venire possit, ut has in-

---

*) Siglis codicum utor Kellerianae editionis, nisi quod *L* significat archetypum Menteliani et Leidensis libri a me collati, et *Reg.* scripturam indicat codicis Reginensis a Wickhamo publici iuris factam.

scriptiones ex ipsis poetae verbis temere conflatas esse suspicetur, sicut exempli gratia in Catulli hendecasyllabis et Martialis epigrammatis factum est, idcirco probari nequit, quia saepe in eis aliquid inest cuius in ipso carmine nec vola nec vestigium apparet. Velut quod quintae decimae epistulae [*I 15*] inscriptum est *ad Numonium Valam*, cum in ipsius epistulae versu primo Valae tantummodo fiat mentio, vel quod epodo quartae in codicibus *F*γ praefigitur *in Sex. Pompeium libertum* et carmen tricesimum tertium [*I 33*] *ad Tibullum* scriptum esse traditur, ea omnia non ex poetae verbis elici potuerunt, sed aut prorsus pro libidine ficta aut aliunde adsumpta esse debent. Potuerunt sane ex scholiis Horatianis vel ex iustis commentariis quales etiam nunc extant manare: quamquam fallax ea est suspicio. Nam neque in Porphyrionis commento, ut paucis exemplis defungamur, sive Numonii Valae [*ad epist. I 15*] sive Marcii Censorini [*ad carm. IV 8*] fit mentio, neque ex vasta illa undecumque corrasa scholiorum farragine quae nobile Acronis nomen immerito iactat vel Fabii Maximi [*ad carm. IV 1*] vel Valgii Rufi [*ad carm. II 9*] vel Licinii Murenae [*ad carm. II 10*] memoria repeti potuit. Neque fluxerunt ex ineptissimo illo de personis Horatianis commentario, cuius iacturam is certe non dolebit, qui quam insulsam redoleant sapientiam ea, quae Porphyrio inde [*ad serm. I 3, 21; 90*] rettulit, meminerit.

Reliquum igitur est ut omnia illa aut temere conficta sint aut ex enarrationibus multo vetustioribus atque doctioribus quam quae hodie circumferuntur scholia originem duxerint. Utrum statuendum sit apparebit si ea praescripta quorum de fide etiamnunc aliqua ex parte iudicare possumus examinaverimus.

Decimo carmini alterius libri, quo poeta Licinium quendam hortatur ut medium vitae cursum sequatur neve ad altiora aspiret, praescriptum legitur in *FL*γ *Reg.*: *ad Licinium Murenam.* Cuinam vero aptior fuit haec cohortatio quam L. Licinio Murenae, qui consul anni 731 cum Caepione occidendi Augusti consilia iniit et patefacta coniuratione capitis poenam solvit? Is autem utpote ab A. Terentio Varrone adoptatus a plerisque scriptoribus velut a Cicerone [*ad fam. XIII 22; XVI 12*] Suetonio [*Aug. 19*] Tacito [*ann. I 10*] Varro Murena vel Varro vocatur, neque aliter nomen eius et in Capitolinis fastis exaratum esse videtur legiturque in titulo vici cuiusdam suburbani apud Wilmannsium 1712: Velleius solus [*II 91*] et qui Augusteae aetatis scriptorem sequitur Cassius Dio [*LIV 3*] stirpis Liciniae memoriam servarunt. Ex Augusteae igitur nisi fallor aetatis memoria origo illius praescripti repetenda est.

Primo deinde carmini libri quarti, quo Horatius Venerem his verbis comprecatur:

Tempestivius in domum
Pauli purpureis ales oloribus
Comissabere Maximi

praescriptum est in *F*γ: *ad Fabium Maximum.* Significatur igitur Paulus Fabius Maximus consul anni 743, patronus atque fautor Ovidii, maritus Marciae Augusti consobrinae et ob id ipsum Augusto seni familiarissimus: quod qui imperite negant interpretes Horatii, ei a Nipperdeio [*ad Tac. ann. I, 5*] meliora doceri iam dudum potuerunt. Apparet iam, puto, quam apto gratoque obsequio poeta quarto carminum libro, quem Augustus ipse propter privignorum victorias prioribus ut adderet eum coegit, carmen in honorem viri cum Augusta domo



coniunctissimi compositum praefixerit. Atque si ariolari libet, possumus conicere Horatium Venerem orare, ut futuris Fabii cum Marciae nuptiis propitia adesse velit: id ipsum enim poetae verbis:

Et quandoque potentior
Largi muneribus riserit aemuli
Albanos prope te lacus
Ponet marmoream sub trabe citrea

eqs. tecte subindicari videtur.

Ex eadem autem accurata hominum qui Augusti aetate floruerunt cognitione profectum est quod epistulae quintae decimae libri primi in plerisque libris bonis praescriptum legitur *ad Numonium Valam.* Potest is esse C. Numonius Vala quattuorvirum monetalium anno 711 [*Mommsen Roemisches Muenzwesen p. 741*], qui in itinere Aegyptiaco Philas visit [*CIL III 74*] et legatus in Germania ex clade Variana turpem fugam capessens occidit [*Vell. II 119*]. Quamquam etiam de alio Numonio Vala cogitari posse docet titulus Paestanus [*IRN 91*]: Q. Numonio C. f. Valae patrono, qui ultro in memoriam revocat ipsum illum hominem cui Horatium 'quae sit hiems Veliae, quod caelum — Salerni, quorum hominum regio et qualis via: — maior utrum populum frumenti copia pascat, collectosne bibant imbres puteosne perennes iugis aquae' adcredere par fuit. Neque commemorare pigebit Sex. Numonium Maturum tituli Regini [*CIG 5763*] et C. Numonium <Cere>alem tituli Vibonensis [*ib. 5771*], quos Guilelmi Moelleri nostri officiosa diligentia nobis indicavit.

Iam vero longe gravissimum est quod ex titulo quarti carminis libri primi discimus, qui hoc vario modo in libris conceptus est: *Sestio Quirino qui et Festus**) *dictus est F vel ad Sestium Quirinum LReg.* Significatur, id quod omnes fere Horatii interpretes intellexerunt, L. Sestius consul anni 731, quocum Horatius cum una Bruti castra sequerentur familiaritatem contraxisse videtur. Huic autem viro cognomen fuisse Quirini nesciebamus: immo cum in fastis Capitolinis ad annum 731 legi *l. sestius p* F.VIBI *n* sine cognomine testetur Henzenus [*CIL I p. 441*] hinc de Horatianorum codicum fide actum esse nobis videbatur. Attamen ea ipsa fastorum scriptura multis obnoxia est difficultatibus. Pater enim Sestii vix alius fuisse potest nisi nobilis ille Ciceronis cliens P. Sestius, cuius filium Lucium vocatum esse Ciceronis testimonio [*ad fam. XIII 8*] constat. Iam vero ipse ille P. Sestius non Vibi sed Luci filius audit apud eundem Ciceronem [*ad fam. V 6*]. Quapropter aut Ciceronis verba corrigenda aut duos distinguendos esse Publios Sestios, alterum Vibi alterum Luci filium, censet Henzenus [*CIL I p. 450*]. Accedit quod Vibi praenomen prorsus singulare est in homine nobili Romano. [*cf. Mommsen Roemische Forschungen I p. 21*]. Denique id ipsum Vibi vocabulum non diserte in lapide extat sed Panvinii fide nititur: hodie, cum in ipso Sestii nomine lapis fractus sit, nihil aliud in fractura apparet nisi summi litterarum FVIBI apices. Nascebatur igitur nobis suspicio in fastis non praenominis Vibi sed cognominis Quirini vestigia servata esse. Quid

---

*) Festi vocabulum ex corrupta vel male intellecta scriptura versus septimi decimi *O beate Sesti*, natum esse videtur.

**multa?** Mommseno, quem hac de suspicione nostra consuluimus, intercedente Romae lapis denuo inspectus est: comparuerunt ante V litteram vestigia litterae ad circuli formam sculptae quae alia vix fuisse potest nisi Q. Exaratum igitur fuit in fastis L. Sestius P. f. L. n. Quirinus, et Horatianorum codicum ope nunc demum nobilissimi illius hominis cognomen in integrum restituere nobis licet.

Haec si recte exposuimus satis iam cautum esse videtur ne quis in posterum temere horum praescriptorum auctoritatem neglegat. Nemo iam, opinor, erit qui pro libidine ab imperito aliquo magistello ea conficta esse censeat. Itaque longius progredi licet atque in iis quoque rebus quas nunc post tot saecula non iam examinare et aliorum testimoniorum patrocinio vindicare possumus, Horatianorum codicum auctoritati obtemperare. Velut quod ex vigesimi secundi carminis libri primi praescripto: *ad amaristium Fuscum FL* colligere possumus Aristii praenomen, id nunc Horatii amico festivissimo non amplius invidere licet, qui pleno nomine M. Aristius Fuscus appellandus est. Porro si in initio octavi carminis alterius libri legitur: *Prosagorentice Iuliae* [*Iullae Fl*] *Barinae FLReg,* non est cur cum Rittero Iuliae nomen ex corruptela eius vocabuli a quo carmen incipit: *Ulla si iuris tibi peierati poena, Barine, nocuisset unquam* repetamus. Atque Barinae nomen qui editoribus Horatii tantas excitare potuerit turbas, ut inde a Bentleio alii alia temptarent, satis mirari nequeo. Si enim minime insolens fuit mulierum cognomina ab oppidorum vocabulis repetere, quid haerendum in cognomine a Bario oppido, sicut iam dudum monuit Usenerus [*Rhein. Mus. XXIV p. 341*], eadem ratione deducta qua Brundisinae [*IRN 478*] Tarentinae [*ib. 5062*] Telesinae [*ib. 7113*] cognomina? Si autem in terminatione graeca offendamus, quid tum fiat eis cognominibus hybridis ut Attiane, Claudiane, Flaviane, Iuliane, Mariane, Matidiane, Mummiane et quae sescenta alia eiusdem generis ex corporis inscriptionum indicibus facili negotio constipari possunt? Iuliae vero nomine hanc puellam utpote Iuliae gentis libertam minime nobilitari inter eas res est quas Horatii interpretibus solis mortalium nescire licet *).

Rursus non videmus cur his praescriptis fides deneganda sit, cum carmen sextum decimum libri primi *ad Tyndaridem AB* eo consilio scriptum esse tradant ut sit *palinodia Gratidiae vel Tyndaridis FL.* Quocum coniungendum est quod epodon quinta et duodecima *in Gratidiam converso nomine* scriptae esse dicuntur.

His exemplis fortasse addenda est alterius carminis quarti libri inscriptio *ad Antonium Iullum F ad Antonium Iulum L ad Antonium Iulium γ.* Etiamsi enim haec ex altero carminis versu:

*Iule, ceratis ope Daedalea nititur pinnis.*

conficta esse possint, tamen ut aliter hac de re statuendum videatur hae nobis persuadent rationes. Primum quae in hoc versu ab omnibus fere libris praebetur nominis forma Iule, ea quin falsa sit amplius iam dubitari nequit. Neque enim solum codicum Taciti, Velleii, Suetonii, Dionis, aliorum consensus, quode vide quae composuit Mommsenus [*Roemische Forschungen I p. 35 not. 54*], verum etiam nummi Carthaginiensis Hispanorum inscriptio M·PE-

*) Ceterum fortasse cum Horatianorum librorum Iulia Barine conferri potest Iulia Barilla amica Ti. Claudii Diadumeni [IRN 6474].



TRONIO·C·IVLIO·ANTONIO·II·VIR, de qua docte egit Borghesius [*Opp. I, 468 sq.*], docent filium hunc Antonii Iulium non Iulum fuisse appellatum. *Iuli* vero vocativus metri legibus ab illa versus Horatiani sede arcetur. Sed ne *Iule* quidem, quod volgo legitur, ab omni parte metro satisfacit, quoniam trisyllaba huius nominis forma sola a poetis usurpata esse videtur. Deinde bene monuit Peerlkampius prorsus ab Horatii more abhorrere, ut eadem persona diversis nominibus [*Iule v. 2, Antoni v. 26.*] in eodem carmine appelletur. Accedit quod ne id quidem poeta admisisse videtur ut eandem personam bis cum nominis significatione alloqueretur. Quapropter nobis quidem plane persuasum est Peerlkampium verum vidisse, cum pro *Iule* pronomen potius *Ille* ab Horatio scriptum fuisse suspicaretur.

Iam vero duplex inter huius carminis inscriptionem et verba intercedere potest ratio. Aut enim ex corrupta demum alterius versus scriptura inscriptio nata esse potest, aut, quo nostra magis inclinat sententia, Iulii mentio *) ex praescripto in poetae verba irrepsit. Utrum veri sit similius statim apparebit, si nunc quo tempore omnia illa de quibus egimus praescripta composita esse videantur exposuerimus.

Ea enim quibus virorum illustrium velut Sestii, Numonii, Murenae nomina adcuratius significantur potuerunt certe etiam recentioris aetatis homines paullo doctiores vel ex historia Augusteae aetatis vel ex rerum monumentis componere: nonnulla vero ita sunt comparata ut eorum fons atque origo ab ipsis poetae aequalibus repetenda sit. Velut quod Tyndaris Gratidia esse dicitur, vel quod Canidiae nomine Gratidia lacessi fertur vel quod Barinen Iuliae gentis fuisse tradunt, harum rerum cognitio non aliunde nisi ab Horatii amicis atque familiaribus peti potuit. Credendum igitur est prima post Horatii tempora aetate, cum etiam tum in vivis essent qui talia vel scirent vel scire posse crederentur, aliquem in has res cum cura inquisivisse. Is autem quicumque fuit certe non fuit ex grammaticorum de schola numero, siquidem Horatii carmina vix ante Quintiliani tempora in ludis tractari coepta sunt. Immo fingere nobis debemus hominem eruditum, qui indefesso studio monumenta rerum pervestigando et viros nobiles unde sciri aliquid potuit interrogando commentariorum materiam congessit. Eius studii luculentissimum nobis proponit exemplar Asconius, qui propter Vergilium ut puerum illum, cuius natales in ecloga quarta praedicantur, quis fuisset extricaret, non dubitabat ipsum Asinium Gallum adire, utpote qui a patre Pollione Vergilii familiare vetustissimo talia audire potuisset [*cf. Serv. ad Verg. ecl. 4, 11*]. Simili circa eadem tempora studio Lyricorum novellorum amores is perscrutatus est, ex cuius doctis commentariis fluxerunt quae de ratione qua poetae in carminibus evolgandis nomina propria immutaverint apud Apuleium [*apol. 10*] et Pseudoacronem [*ad. serm. I 2, 64*] extant. Deliam Tibulli enim fuisse Planiam quandam vix aliunde innotescere poterat, nisi ex viva memoria eorum qui cum Tibullo artissimae necessitudinis vinculo coniuncti fuerant, si quidem quam parum nota talia vel apud ipsos poetae aequales fuerint ex incerta

*) In omnibus vetustioribus libris hanc Iulii mentionem extitisse docet Bernensis lib. i praescriptum bis exaratum *ad Iulum Antonium* vel *ad Iulianum Antonium vetustiorum poetarum veneratio encomiastice tetracolos.* Idem in Parisini A archetypo fuerat, unde codicis *A* librarius finem tantummodo *poetarum encomiastice tetracolos* transscripsit.

qua Ovidius [*amor. III 9, 55 sqq.*] de Tibulli amoribus loqui videatur ratione apparere scite nos monuit E. Hiller collega coniunctissimus. Itaque si conceditur Horatianorum carminum praescripta, in hominum dumtaxat nominibus accuratius indicandis, deberi unius illius quam significavimus aetatis viri docti curiosae diligentiae, inter vetustissimos is Horatii interpretes quaerendus est, neque videmus quid obstet quominus Iulium Modestum ex saluberrima Hygini disciplina profectum talia composuisse statuamus. Eum enim Horatii carmina interpretatum esse docent vitae quae volgo in codicibus fertur verba extrema: *commentati sunt in illum Porphyrion, Modestus, Helenius Acron, omnium autem optime Acron.* Quamquam haec sane incertiora sunt: attamen de eo dubitari non posse nobis videtur, quin ei grammatici qui velut Probus in emendandis carminibus operam posuerunt ab his praescriptis abstinuerint. Hoc enim inde colligere nobis licet quod multo seriore aetate exemplaria Horatii lectitata esse, in quibus carmina singula non praescriptis distincta sed continua fere scriptura exarata fuerunt, ex Diomedis Mariique Victorini erroribus patet. Accedit quod uno eoque certo exemplo demonstrari potest illa praescripta ex uberiore interpretatione in breviorem esse formam coacta. Nam in inscriptione epodi quartae qualis in *ABL* fertur: *ad sextum menam libertinum. redium rufum ex servitute miratur usurpasse equestrem dignitatem usque ad tribunatum militum* duplicis apparent vestigia interpretationis, qua hominem illum quem Horatius acerbissime perstringit aut notissimum Sexti Pompei ducem atque proditorem aut Vedium quendam fuisse Rufum ceteroqui nobis ignotum significabatur.

Itaque ut brevi complectamur quae exponere conati sumus, cum in praescriptis carminum Horatianorum hinc illinc appareant solidae doctrinae atque accuratae hominum qui Augusti temporibus vixerunt cognitionis vestigia, nequaquam ea a librariis conflata esse possunt, sed excerpta sunt ex doctis commentariis quibus proximis post poetae aetatem temporibus Iulius fortasse Modestus argumenta carminum explanare instituit. Atque longius progredi licet, si praescriptorum horum rationem atque indolem universam accuratius perscrutabimur. Scilicet non eadem eorum est ratio in omnibus codicibus, sed diverso in diversis librorum generibus modo concepta sunt: quae res quam habeat vim in codicum familiis discernendis eorumque fide et auctoritate aestimanda, si nunc primis tantummodo lineis adumbrare conamur, tenendum est totum hoc argumentum tum demum recte pertractari posse, si plenior atque accuratior librorum Horatianorum notitia nobis parata erit. Kellerianae enim carminum editionis apparatus vel sic propter optimorum librorum omissionem satis exilis, nullo modo tali instituendae quaestioni sufficit. Exoptandum vero est ut vir doctus in altera quam parat editione et pleniorem et planiorem lectionis Horatianae nobis apponat farraginem. Raro igitur praescripta in sola eius hominis ad quem carmen missum est significatione continentur: accedit plerumque quamvis succincta formae metricae et argumenti indicatio. Atque metrum ita explicatur ut quot versibus vel colis singulae decurrant strophae utrum δίκωλος an τετράκωλος sit ᾠδή indicetur, quocum raro ipsius metri expositio coniuncta est. Argumenti vero indoles duplici significatur ratione, cum et ipsum argumentum breviter adumbretur et quamnam lyricae poeseos speciem carmen prae se ferat uno tantummodo verbo, velut παραινετική, προσφωνητική, πραγματική et quae sunt similia, indicetur. Haec vero artis vocabula, quorum plena enumeratio in codicibus *AL* sub



fine tertii carminum libri extat, in grammaticorum officina satis antiquo tempore conficta sunt, quamquam accuratius id qua aetate factum sit nondum demonstrare possumus.

Iam duo codicum ordines satis certa ratione ita inter se differre videntur, ut *AB* per tres priores libros plerumque sola hominum nomina carminibus praescribant, alii vero velut *FL**) his nominibus succinctam argumenti significationem addere soleant. Quod quale sit ex his exemplis patebit:

| | | |
|---|---|---|
| I 2 | ad diuum Augustum *AB* | proseutice tetracolos ad diuum Augustum *FL* (diuum *om. F*) |
| I 3 | ad navem *A* | prosphonetice dicolos Virgilii (*hic desinit F*) ad navem qua Virgilius Athenas navigavit *FL* |
| I 5 | ad Pirram meretricem *A* | prosphonetice tetracolos ad Pyrram *FL* |
| I 6 | ad Munatium Plancum *A* | paranetice dicolos ad Plancum *F* |
| II 12 | ad Maecenatem *AB* | ad Maecenatem non esse res magnas levi carmine dicendas *FL* |
| II 13 | ad arborem *AB* | ad arborem cuius casu paene perierat a qua oppressum litus exsecratur *FL* |
| II 14 | ad Postumum de celeritate vitae *AB* | ad Postumum de brevitate vitae *FL* |
| II 16 | ad Pompeium Grosphum *AB* | ypotetice Grospho ostendens quam iocundum sit otium. *FL* |
| III 10 | ad Lycen *AB* | ad Licen superbam in amantes *FL* |
| III 11 | ad Mercurium *AB* | prosphonetice Mercurio lyraeque *FL* |
| III 13 | ad fontem Bandusiae *AB* | proseutice in fontem Bandusinum qui est in Sabinis *FL* |
| III 14 | ad populum Romanum *AB* | paranetice civibus in Augustum victorem ex Hispania redeuntem *FL* |
| III 19 | ad Telephum *AB* | diastolice ad Telephum <*ob*> Murenam augurio honoratum *FL* |

His exemplis apparet in universum prorsus diversam esse rationem praescriptorum quae in *AB* et *FL* leguntur. Neque hoc discrimen eis locis tollitur, quibus praescripta in *AB* magis ad alteram rationem exacta sunt, cum satis multae caussae excogitari possint quibus eam confusionem probabiliter explicare licet, quod nunc quidem accuratius persequi nec libet neque opus est.

Iam ad quartum carminum librum nos vertamus:

| | | |
|---|---|---|
| IV 1 | allegoricos a se affirmat ex intermisso scribi carmina ad Venerem eutice erotice dicolos *ABL* | ad Fabium Maximum *F* |

*) Cum *FL* artiore vinculo etiam *πτ* libros contineri apparet ex nonnullarum mendarum communione, quae ex male intellecta archetypi capitalibus litteris exarati scriptura ortae sunt, velut I 2,18 pro ULTOREM in *FLπτ* scriptum est vel fuit UELORUM et IV 7,19 pro HEREDIS in iisdem HEREBIS extat.

| | | |
|---|---|---|
| IV 4 | ad urbem romanam de indoli ducum prosphonetice encomiastice tetracolos *ABL* | in Drusi Neronis virtutem *F* |
| IV 5 | ad Augustum de expeditione eius tarda orat paeanis species proseutice tetracolos *AB* | ad Caesarem Augustum absentem *F* |
| IV 6 | Apollinis laudem refert quoniam servavit Aenean auctorem originis Romanae proseutice tetracolos *ABL* | in Appollinem *F* |
| IV 7 | ad Manlium Torquatum de mortalitate refert enim omnia mutari momento temporis paraenetice tetracolos *ABL* | ad Manlium Torquatum verni temporis scriptio *F* |
| IV 8 | ad Censorinum comparatio poetices divitiarum simul ac virtutis encomiastice monocolos *AB* | ad Censorinum Marcum *F* |
| IV 9 | consecrari ait carmina sua mereri quoniam nihil non carminibus illustratur *AB* | ad Lollium de immortalitate carminum suorum *F* |
| IV 14 | de salute Augusti ait esse sollicitos patres ad plebem encomiastice tetracolos *ABL* | laudes Augusti *F*. |

Ex his unum iam pro certo recte colligere posse nobis videmur, scilicet in quarto carminum libro praescriptorum indolem mirum in modum a prioribus discrepare. Nam cum *AB* per priores tres libros fere brevius praescriptorum genus praebere soleant, in quarto libro ampliore ratione utuntur: *F* autem per priores tres libros amplioribus titulis instructus, in quarto ad brevius genus pertinet. Notabilis sane inconstantia, quam hac fere ratione explicare licet: is liber unde per priores tres libros tituli carminum in commune codicum *AB* archetypum transscripti sunt, etsi iam in priore parte mancus fuisse videtur, defecit certe in tertii libri fine, atque quarti libri praescripta ex alio codice suppleta sunt. Idem vero accidit in codicis *F* archetypo, ut liber ille unde inscriptiones describebantur in tertii libri exitu desineret. Desumpta igitur sunt ea praescripta ex codicibus qui tres priores carminum libros solos complectebantur. Tales autem extitisse codices vel id documento esse potest quod in libris nonnullis velut *AL* in tertii odarum libri fine diversorum lyricae poeseos generum enumeratio inserta est, sicut supra iam dixi (*pg. 8*), quae res quemadmodum permira est in medio exemplari, ita qui usu venire potuerit sua sponte intellegitur, si hoc loco codicum aliquod genus desiisse statuimus. Atque quod illi codices hoc loco defecerint, non casui tribuendum esse videtur, sed inde certe explicari potest quod prima carminum Horatianorum editio in tribus prioribus libris continebatur. Itaque totum hoc codicum genus, unde praescripta desumpta sunt, originem duxisse videtur ex editionis primae ab Horatio anno 731 curatae exemplaribus. Haec hactenus: an longius eo progredi liceat, ut non praescriptorum solum archetypa ex tam puro atque illibato fonte repetenda sint, id quaerere in praesens distulimus nec scire fas est omnia.



# I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

## PROFESSORUM ORDINARIORUM.

### Dr. I. WELLHAUSEN, P. P. O. DEC.

I) Publice exercitationes seminari theologici in Vetere Testamento interpretando moderabitur die Ven. hor. VI. — II) Privatim 1) librum Geneseos explicabit quater p. h. hor. VII; 2) historiam Iudaeorum inde a Cyro usque ad Hadrianum tradet dieb. Merc. et Sat. hor. XII.

### Dr. C. WIESELER, P. P. O.

I) Publice seminari theologici exercitationes in Nov. Testamento interpretando moderabitur die Iov. hor. VI. — II) Privatim 1) epistulas Pauli ad Corinthios datas interpretabitur quater p. h. hor. X; 2) vitam Iesu Christi adumbrabit quater p. h. hor. XII.

### Dr. I. G. HANNE, P. P. O.

I) Publice cum de fine supremo hominis tum de natura et dignitate animae humanae disseret die Merc. hor. V. — II) Privatim 1) encyclopaediam theologiae docebit dieb. Lun. et Iov. hor. XII; 2) rationem et disciplinam theologiae dogmaticae et moralis in usum commilitonum omnium ordinum exponet dieb. Mart. Merc. Ven. hor. XII.

### Dr. O. ZOECKLER, P. P. O.

I) Publice 1) seminari theologici exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes moderabitur die Lun. hor. VI; 2) historiam ecclesiasticam nostrae aetatis inde a primordiis saeculi XIX tradet die Merc. hor. VIII et die Sat. hor. VIII et IX. — II) Privatim 1) encyclopaediam et methodologiam studii theologici docebit dieb. Mart. Iov. Ven. hor. VIII; 2) historiam dogmatum ecclesiae Christianae tradet quinquiens p. h. hor. IX.

### Dr. H. CREMER, P. P. O.

I) Publice 1) seminari theologici exercitationes ad theologiam dogmaticam pertinentes moderabitur die Mart. hor. VI; 2) exercitationes societatis homileticae moderari perget die Merc. hor. III; 3) locum de Scriptura Sacra tractabit die Mart. hor. X. — II) Privatim ethicen Christianam docebit quinis p. h. scholis hor. XI.

## II. SCHOLAE IURECONSULTORUM.

### 1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. L. A. A. PERNICE, p. p. o. dec.

I) Publice exercitationes iuris Romani in seminario iuridico moderari perget die Lun. hor. IV—VI. — II) Privatim 1) institutiones iuris Romani tradet cotidie hor. XII; 2) historiam iuris Romani enarrabit quinis p. h. scholis hor. XI; 3) ius hereditarium docebit quater p. h. hor. IX.

Dr. C. F. W. I. HAEBERLIN, p. p. o.

I) Publice exercitationes criminales instituet die Sat. hor. XI. — II) Privatim 1) processum criminalem tractabit quaternis scholis hor. X; 2) ius publicum Germanicum docebit quater p. h. hor. XI.

Dr. E. R. BIERLING, p. p. o.

I) Publice exercitationes iuris canonici instituet die Mart. hor. IV—VI. — II) Privatim 1) ius criminale docebit quinquiens p. h. hor. X; 2) ius gentium Europaearum tradet ternis p. h. scholis hor. XI.

Dr. I. F. BEHREND, p. p. o.

I) Publice exercitationes iuris Germanici in seminario iuridico instituet die Sat. hor. VIII—X. — II) Privatim historiam iuris Germanici tradet quinquiens p. h. hor. VIII; 2) ius privatum Borussicum quinquiens p. h. hor. IX.

Dr. E. HOELDER, p. p. o.

I) Publice in seminario iuridico exercitationes iuris Romani moderabitur die Iov. hor. IV—VI. — II) Privatim pandectas docebit cotidie hor. XI—I.

### 2) PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

Dr. M. E. ECCIUS, p. p. e.

I) Publice in seminario iuridico exercitationes ad ordinem iudiciorum privatorum hodiernum spectantes instituet die Ven. hor. IV—VI. — II) Privatim de ordine iudiciorum privatorum hodierno disseret quater p. h. hor. VIII.



## III. SCHOLAE MEDICORUM.

### 1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. IULIUS BUDGE, p. p. o. dec.

I) Publice capita selecta anatomiae comparatae tractabit die Sat. hor. X. — II) Privatim 1) osteologiam et syndesmologiam docebit ter p. h. hor. VII; 2) angiologiam et neurologiam tradet quinquiens p. h. hor. X; 3) cursum microscopicum moderabitur ter p. h. hor. VII et VIII.

Dr. H. C. A. PERNICE, p. p. o.

I) Publice de morbis recens natorum disseret die Iov. hor. VII. — II) Privatim 1) theoriam artis obstetriciae tradet dieb. Lun. Iov. Sat. hor. XII; 2) exercitationes clinicas et policlinicas obstetricias operationesque in phantomate instituendas moderabitur dieb. Lun. Iov. Sat. hor. VIII, ceteris diebus hor. XII.

Dr. F. GROHE, p. p. o.

I) Publice de morbis corporis humani parasiticis disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) anatomiam pathologicam specialem cum demonstrationibus tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. hor. III; 2) cursum anatomiae pathologicae practicum instituet dieb. Lun. et Sat. hor. XII et dimid., dieb. Merc. et Ven. hor. VII et VIII.

Dr. F. MOSLER, p. p. o.

I) Publice de renum morbis disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) pathologiae et therapiae partem primam tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. VIII; 2) exercitationes clinicas et policlinicas medicas moderabitur cotidie inde ab hor. IX usque ad hor. X et dimid.

Dr. C. HUETER, p. p. o.

